

Universitätsbibliothek Wuppertal

Omnia Divini Platonis Opera

Plato

Basileae, 1551

Epistola IX

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-245](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-245)

iudices ex illis electos qui magistratibus proxime perfuncti sunt: ita ut unus ex quolibet magistratu eligatur, qui optimus iustissimusque appareat. Hi sequenti anno de morte & carcere et exilio sententiam ferant. Regi uero his iudicijs interesse non liceat: utpote sacerdoti: quem in ferenda necis, carceris exilij sententia contaminari nefas sit. Hæc equidem & dum uiuerem, cogitabam: & nunc etiam cogito facienda: atque tunc, cum inimicos superauissem unam uobiscum, nisi externi, furiaque obstitissent, ut decreueram, constituissem. Proinde si ad uotum res processissent, colonis reliquam Siciliam repleuissem, Barbaris quidem ex his locis quæ nunc occupant expulsis: præterquam si qui eorum pro communi libertate contra tyrannidem pugnauerunt. Priores autem Græcorum locorum colonos in antiquas, patriasque sedes restituissem. Hæc igitur eadem in præsentia omnibus consulo communi consilio deliberare & agere: atque ad hæc agenda omnes cohortari: quod si qui dissenserint, eos communi sententia hostes existimare. Neque uero hæc talia sunt, ut fieri nequeant. Quæ enim in duorum animis consistunt, atque his qui consultando perquirunt optima, mox facileque occurrunt, ea qui impossibilia iudicat, non recte sentit. Dico autem duos, Hipparrini scilicet Dionysij filij, atque insuper mei filij animos. Arbitror enim si hi consenserint, alios quoque Syracusanos & omnes quibus patria curæ est, consensuros. Sed dijs omnibus honores cum precibus offerentes, & alijs præterea quibuscumque unam cum dijs uouere decet: præterea cohortantes, inuitantesque amicos & inimicos omnino atque benigne, nolite prius desistere quam ea quæ a nobis dicta sunt, quasi diuina somnia uigilantibus superuenientia, perspicua quidem atque felicia perfectissime impleatis.

PLATO Architæ Tarentino, bene agere.

Epistola IX

MENERVNT ad nos Archippi Philonidisque familiares, ferentes epistolam quam eis dederas, ac de rebus tuis quæ oportuit nunciantes. Publica quidem ciuitatis negotia absque difficultate peregerunt. Neque enim admodum laboriosa erant. Te uero narrauerunt permolestè ferre, quod a publicis ciuitatis occupationibus liberari non ualeas. Quod igitur dulcissimum uitæ genus sit agere sua, præsertim si quis talia elegerit facienda, qualia tu, omnibus ferme est manifestum. Sed illud quoque te considerare oportet: nullum nostrum sibi soli natum esse: sed ortus nostri partem sibi patriam uendicare: partem parentes: partem amicos. Multa insuper pro temporum diuersitate uobis acciderent: quibus uita nostra occupata est. Vocante igitur te patria ipsa ad rempublicam gubernandam, absurdum forsitan esset non parere: præsertim cum simul accidat: ut aditus prauis hominibus relinquatur, qui nulla ipsius quod optimum est ratione proficiscuntur ad publica. De his ergo iam satis. Echecratis autem curam habemus in præsentia habebimusque in posterum: & tui gratia, & patris eius Phrynionis, & propter ipsum adolescentem.

PLATO Aristodoro, bene agere.

Epistola X

AVDIO te ante alios & nunc familiarem esse Dionis, & per omne tempus sapientiam morum ad philosophiam spectantium in primis exercuisse. Nam firmitatem, fidem, sinceritatem, ueram esse philosophiam existimo. Alias uero & ad alia declinantes scientias & facultates si quis ornamenta dixerit, recte, ut arbitror, appellabit. Sed uale iam, & in præsentibus his persevera moribus.

PLATO Laodamanti, bene agere.

Epistola XI

SCRIPSIUS etiam prius ad te, referre multum ad ea quæ dicis omnia, ut Athenas ipse proficiscaris. Quoniam uero ais te uenire non posse, secundo id loco forer, si uel ego, uel Socrates, ut per tuas literas significasti, istuc nos conferre possemus. Verum Socrates quidem hoc tempore morbo stranguriæ impedit. Mihi uero istuc proficiscenti dedecus foret: si illa quorum gratia me uocas, nequaquam perficerent. Quæ quidem perfici posse haud admodum spero. Siquis autem ea omnia referre aggrediat quorum de causa ita diffidam, prolixa opus erit epistola. Præterea per ætatem non satis corpore ualeo ad iter conficiendum, periculaque mari terraque obeunda, qualia iter solet obijcere. Præsertim uero per id tempus omnia iter agentibus plena periculis sunt. Consulere tamen tibi colonisque possum, quod nunc me referente, inquit Hesiodus, putare quidem fallax quidam esse, difficile uero intelligere. Nam si putant aliqui legum quarumlibet positione ciuitatem bene quandoque constitui posse, nisi sit aliquis cum auctoritate præsidens ciuitati, quotidianæ omnium uitæ moderator, adeo ut sit temperata & fortis tam in seruis quam

in liberis